

Laico iudice adsignato, intra quinque dierum terminum, dirimendæ sunt, qui si in ferenda sententia non consenserint, hujusmodi causæ intra triginta dies terminandæ devolvuntur ad *Competentiarum* Cancellarium, qui est persona in Dignitate Ecclesiastica constituta, à Rege Catholico deputata; quæ quidem causæ si intra præscriptos dies à Cancellario non dirimantur, in favorem Ecclesiæ terminatæ intelliguntur: *Forum 1 de Compet. Jurisdict.* et late Portoles *ibid.* In Castella demum Ecclesiastici iudicis est, de hujusmodi causis dijudicare. Videsis Ledesma in *Allegat. Fiscali, ad calcem Histor. Bullæ Cænæ edit. an. 1768.*)

Munus Arag. Cancellarii, de quo hic sermo, Reg. decret. 51 Oct. 1855 suppressum fuit.

De contentioneibus, vulgo *competencias*, hæc habent Barcin. Selv. Adnotatores t. 3 pag. 59: « Ex art. 58 Reg. Provis., inter facultates superiorum curiarum, vulgo *audiencias*, hæc n. 5 recensetur, ut nempe possint solvere contentiones sive *competencias* inter iudices sui territorii ordinarios exortas. Si quando prædictæ contentiones tales sint, ut vel ipsæmet superiores curiæ inter se vel cum aliquo alio iudice seu tribunali litem habeant, vel etiam superiores Eccl. iudices inter se de jurisdictione litigent; tunc hujusmodi causarum cognitionem art. 90 Reg. Provis. ad supremam Hispaniæ et Indiarum tribunal defert. — V. decret. 30 Aug. 1856, ac. leg. 6 Jul. an. 1845.»

8. Ex his autem, quas descripsi, causis spiritualibus quædam majores, graviioresque sunt, quarum iudicium Summo Pontifici servatum est (1). Hujusmodi sunt controversiæ de fide, resque omnes, quæ ad disciplinam, rectamque gubernationem, et statum pertinent Ecclesiæ universæ. Non enim una omnibus fides esse potest sine iudicio, et auctoritate ejus, quem Christus unitatis centrum constituit, et à quo disjuncta Ecclesiæ membra copulantur; neque alius cogere omnes potest ad eandem disciplinam, certamque administrationem, nisi qui toti Ecclesiæ præpositus est, et in omnes habet jurisdictionem.

(1). De majoribus quidem causis, quæ semper Apostolicæ Sedis iudicio reservatæ fuerunt, innumera sunt testimonia, et antiquitatis monumenta. Multa ea de re dixi l. 1 tit. 3 sect. 1 not. 4 p. 145. Addam nunc Petrum Chrysologum Ep. 25 ad Euthych. inter Leonin. t. 1 col. 777 ed. Baller. Julium I. t. Ep. 4 ad Eusebian. apud Constantium Ep. Pontif. Roman. col. 586. Innocentium I. Ep. 30 ad Concil. Milevit. n. 2 col. 396 ib. et Ep. 57 ad Felic. Nucerin. n. 1 col. 910, Sixtum III. Ep. 40 ad tot. Illyric. Episc. n. 3 ib. col. 1272, Vigilium Ep. 7 ad Auson. Arelat. apud Labbæum t. 5 col. 1300. Gelasium in Commonitor. ad Faustum in Elem. Jur. Can. P. Amort. t. 1 p. 502 ed. Ferrar. 1763. Gregorium M. Ep. 7 l. 5 col. 630 Ep. 54 l. 5 opp. t. 2 col. 784 ed. Paris. 1705, Hilarum Ep. 8 ad Metr. Gall. apud Labbæum t. 9 Concil. col. 682. Men. ed. Avitum Viennensem Ep. 56 in Biblioth. PP. t. 5 col. 66, Gregorium IV. Ep. ad Gall. Germ. Episc. apud Labbæum t. 9 p. 578 ed. Lugdun. Sozomenum Hist. l. 6 c. 22 p. 245 ed. Cantabrig. 1720. Ejusdem quoque rei in ecclesiastica historia certissima monumenta sunt. Huc enim spectant, quæ de Irenæo, de Dionysio Alexandrino, de Patribus Concilii Antiocheni, qui propter errores Montani, et Sabellianorum Sedis

Apostolicæ iudicium postularunt, narrat Eusebius Histor. l. 5 c. 3 et 4 l. 7 c. 5 et 26 p. 215, 324 et 556 ed. Cantabrig. 1720, de proposita ab se contra Arianos legatione ad Damasum P. Basilium Ep. 69 ad Athanas. Ep. Alex. opp. t. 5 p. 161 et Ep. 70 p. 175 ed. Paris. 1750 de Alexandro Episcopo Alexandrino Liberius Ep. 4 ad Constant. num. 4 apud Constantium col. 426, de Gallorum ac Venetentium relationibus ad Silvestrum, deque legato ad semetipsum ex Oriente misso propter hæresim Apollinarii, Damasus Ep. 5 ad orient., et Ep. 44 apud eundem Constantium col. 488 et 571, de controversia Spiritus Sancti Romanæ Ecclesiæ iudicio definita Sozomenus Histor. l. 6 c. 22 p. 245 ed. Cantabrig. 1720. de Joanne Hierosolymitano, Venerio Mediolanensi, Theophilo Alexandrino, Anastasius Ep. 2 ad Joannem Hierosolym. apud eundem Constantium col. 725, et Hieronymus Ep. 78 ad Pammach. in Marcellam opp. t. 1 col. 577 ed. Vallarsii Veron. de causa Pelagii Epist. Concilii Carthaginensis inter epistolas Innocentii I. Ep. 26 apud eundem Constantium col. 875 et Ep. 28 col. 875, quæque ipse Innocentius I. scripsit in Ep. 29 ad Concil. Carthag. col. 888, et Ep. 50 col. 896, et Augustinus Ep. 186 n. 2 opp. t. 2 col. 664 ed. Maur. Ven. 1629, et Serm. 131 c. 10 t. 5 par. 1 col. 645, ubi ea de re dicit hæc: *Jam enim de ea causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, unde etiam rescripta venerunt: causa finita est: utinam aliquando finiatur error!* Similiter orta hæresi Nestorii, Cyrillus Alexandrinus epistolam, quæ extat apud Constantium col. 1086, ad Cælestinum Pontificem misit, quod *longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut hujusmodi res cum Sanctitate tua communicentur*; in questione Monachorum Scytarum literas ad Hormisdam dedit Justinianus Imperator apud Labbæum collect. conc. t. 5 col. 649, de orta propter libros Fausti controversia ad eundem Hormisdam Possessor Episcopus Africanus l. c. col. 661; Cæsarius Arelatensis propter eosdem libros ad Felicem IV, ad quem missa legatio est, et cujus successor ea, quæ synodo statuta fuerant, confirmavit cit. t. 5 Concil. col. 809. Confer etiam Justinianum Imp. Ep. ad Joan. II, P., et ipsius Joannis ad eundem Justinianum Ep. 2 t. 5 Conc. col. 888 et 898 Collect. Labbæi ed. Ven., et Constantinum Pogonatium Imp. Epist. ad Leonem II. apud Labbæum t. 7 Conc. col. 1142. Mitto cetera, ne longus sim; cum præsertim multa, eaque præclara testimonia de Sedis Apostolicæ decisionibus in rebus fidei, ac disciplina collegerit Cl. Mamachus ad Auctorem op. Quid est Papa? Ep. 3 t. 1 p. 257 seq. Tantum addam literas, quas ad Innocentium X, P. dedit Clerus Gallicanus, ut de Jansenii propositionibus claram, certamque sententiam ferret, *caliginem omnem*, ut ipsi inquirunt, *discuteret, animos fluctuantes componeret, dissidia prohiberet, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restitueret.* Extant hæc literæ in opere, cui titulus: « Histoire des Cinq propositions de Jansenius » t. 3, *Recueil des pieces* p. 64 Trevoux 1702, atque ita exordiantur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solennis Ecclesiæ mos, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. Equissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus.* Ad majores causas, quæ Sedi Apostolicæ reservatæ sunt, pertinet etiam confirmatio Ordinum Regularium, de qua late disserit Mamachus l. c. §. 14 p. 272 seq., eorumque exemptio, de qua egi l. 2 tit. 10 §. 5 not. 1, 4 et 5 p. 255 et 256. Sanctorum canonizatio, de qua agit Mamachus l. c. §. 15 p. 264 seq. ipseque etiam disserui l. 1 tit. 3 sect. 1 §. 19 p. 155, legum ecclesiasticarum relaxatio, de qua dictum est cit. §. 16 p. 145, et disputat Ballerinus de Potest. eccl. Sum. Pont. c. 5 §. 2 p. 42 ed. August. Vindel. 1770, novarum Ecclesiarum cathedralium

erectiones, et antiquarum uniones, ac divisiones, quarum, ne sim nimius, testimonia non colligam. Satis erit indicare Thomassinum Vet. et nov. Eccl. discipl. l. 2 par. 2 l. 1 c. 59 et 45, 54 et 58; Zaccariam Anti-Febron. l. 5 par. 2 l. 1 c. 7, Mamachium l. c. Ep. 5 §. 7 p. 208 seq., à quibus luculentissima harum rerum testimonia collecta sunt. Apte, et egregie S. Bernardus Ep. 151 opp. t. 1 p. 148 ed. Ven. 1781: *Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prerogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest inter eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et è converso, si necesse visum fuerit.* Confer etiam quæ à me dicta sunt l. 1 tit. 5 sect. 1 p. 145 seq. ubi cuncta exposui, quæ Summo Pontifici ex suprema ejus potestate reservata sunt. Late quoque de majoribus causis agit Altasserra de Jurisdic. l. 10 per tot. et Davit *des Jugemens canoniques* chap. 15 art. 5.

9. Causæ vero temporales, et profanæ ad ecclesiasticum forum pertinent, cum clericus in jus vocatur, quoniam actor rei forum sequi debet (1). Quare in his controversiis, si clericus actor est adversus laicum, judex item laicus eligendus est, nisi forte aliud ferat locorum consuetudo (2); contra, si clericus à laico in iudicium ducitur, totum iudicium ab ecclesiastico conficiendum est. Quod fori privilegium ita adhæret personis clericorum, ut eo ne volentes quidem ipsi abdicare se possint (3).

(1) L. 5 cod. Ubi in rem actio, l. 2 Cod. de jurisdic. c. 5 et 8 de for. competen. Est hæc vetus quidem Ecclesiæ regula; ac recte Ambrosius in actis Concilii Aquilejensis opp. Ambros. t. 5 p. 511 ed. Ven. 1781, *Sacerdotes, inquit, de laicis judicare debent, non laici de sacerdotibus.* Et paulo post: *erubescemus, ut videatur, qui sacerdotium sibi vindicat, à laicis esse damnatum; ac per hoc quoque, et in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare.* Quo quidem concilio damnatus est Palladius Episcopus, qui laicorum iudicium postulabat. Videndi sunt etiam Athanasius histor. Arian. ad monach. n. 52 opp. t. 1 p. 297 ed. Patav. 1777. Hilarius l. 1 ad Constant. n. 4 et contr. Constant. n. 16 t. 1 col. 555 et 575 ed. Veron. 1750, Lucifer Calaritanus pro Athanas. l. 1 p. 61 ed. Ven. 1778. Concilium Milevitanum can. 19 t. 5 col. 585 collect. Labbæi, suo etiam honore privat clericos, qui à Principe petierint, ut sibi in aliqua causa sæculares iudices attribuat. Atque hic quidem verus, et germanus esse videtur sensus can. 11 et 12. Concilii Antiocheni l. 2 col. 580 cit. collect., quem canonem Antonius Augustinus de emendat. Gratian. l. 1 dial. 11 opp. t. 3 p. 64 ed. Lucæ, et Baronius ad an. 541 n. 28 t. 4 p. 574 ed. Lucæ, minus recte putant ab Arianis editum contra S. Athanasium, et eundem esse canonem, quem Chrysostomo ejus adversarii objecerunt, quemque ipse, ejusque defensores consequenti ætate rejecerunt. Quod recte ostendit Emmanuel Schelestratus de conc. Antioch. p. 541, qui late demonstrat, longe alium esse arianum canonem contra Athanasium conditum, ac postea Chrysostomo objectum, et hunc Antiochenum canonem plane consentaneum esse receptæ antiquæ Ecclesiæ disciplinæ. Neque solum cum inter clericos controversiæ fervebant, sed etiam cum inter clericum, et

laicum lis erat, clericus non nisi ad ecclesiasticum iudicem vocari debebat: Concilium Agathense can. 52 l. 5 col. 526 cit. collect. Multa ea de re sunt in Capitularibus Regum Francorum apud Baluzium capitular. Caroli M. l. 5 c. 378 et c. 390 et l. 6 c. 156 l. 7 c. 19 t. 1 col. 604, 606, 654, 702 ed. Venet. 1772, et multa etiam apud Herardum in Capitulis c. 7 et 8 apud Labbæum t. 10 col. 61; itemque apud Hinemarum Remensem, qui peculiarem ea de re tractatum edidit, quem misit ad Carolum Calvum, et quo demonstravit, nemini licere ad laicum iudicem clericum vocare. Hic tractatus extat t. 2 ejus opp. p. 516 ed. Sirmondi Paris. 1745, ex eoque patet, eam semper fuisse et antiquæ, et recentioris Ecclesiæ disciplinam, ut nullus clericus ad laicum iudicem duceretur. Late hoc argumentum persecutus sum tit. 1 hujus libri.

(2) Vide Benedictum XIV, Inst. eccles. inst. 40.

(3) Justiniani constitutio in L. 50. Cod. de Episc. et cleric. poterat clericus in conscribendo instrumento pacisci non usurum se fori præscriptione, ob regulam juris antiqui, omnes licentiam habere his, quæ pro se indulta sunt, renunciare; unde et mulier Vellejano: L. ult. §. pen. ff. et L. 21 Cod. ad Vellejan.; et Princeps, qui solutus est legibus L. 51 ff. de Leg. et L. 25 ff. de Leg. 5, suo interdum privilegio renunciat: L. 4 Cod. de Legib. L. 4. Cod. ad L. Falcid. §. ult. Inst. Quib. mod. testam. Verum Innocentii III. rescripto in c. 12 de For. compet. prohibentur clerici privilegio fori renunciare, quod sapientissime constitutum est, ut Ordinis dignitati consuleretur. Non enim fori privilegium peculiare privilegium est, quod privatam attingit personam unius, alteriusve clerici, sed ad commodum, decusque pertinet ordinis ecclesiastici universi. Potest sane unusquisque pacisci contra jus peculiare, quod privatam personam respicit, eique renunciare c. 6 et 15 de Privileg., c. 16 et 25 de Regular., ut optime distinguit Innocentius III. in cit. c. 12. atque ita intelligenda est Justiniani constitutio in L. 20 Cod. de Pactis. Verum fori privilegium non peculiare, ac privatum est, sed ad totum pertinet ordinem clericorum, ideoque clericus ei renunciare non potest in perniciem juris ecclesiastici; ut inquit Honorius III. cap. 4 de judic. apud Cironium, V. compilat pag. 97 ed. Vindob. 1761: «Ecclesiasticæ personæ non solum invitæ, sed etiam voluntariæ non possunt, ut iudicium subeant sæculare, pacisci, cum non sit personale hoc beneficium, cui renunciari valeat, sed indultum potius toti collegio ecclesiastico, cui privatorum pacto derogari non potest.» Sane quemadmodum laicorum iudicia, forumque publicum turbari vetat Ecclesia, ita forum suum turbari non sinit; et hoc non est contra legem agere, sed *legi facere subsidium*, uti dicitur in c. 2 de privileg. Late Innocentii rescriptum contra Cujacium tuerent Cironius in *Decretal. Paratill. de Pactis*, et Gonzalez in cit. c. 12 de for. compet., et contra Fervetium Altasserra de jurisdic. eccles. l. 5 c. 4.

(N. S. Clericos omnes æque superiores, atque inferiores in omnibus fere causis civilibus, criminalibusque Foro Episcopali ita subesse, ut ad laicum tribunal eos vocare, aut trahere omnino vetitum sit, jus est exploratissimum.

In nostro vero Hispaniarum Regno, ab sæculari jurisdictione immunes censentur hujusmodi Clerici, dummodo præscriptas à Tridentino, *Sess. 25 Ref. cap. 6*, conditiones impleant; videlicet, ut Beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel cuidam Ecclesiæ ex Episcopi mandato inserviant, vel in Seminario, Schola, aut Universitate de licentia Episcopi versentur, simulque cum qualibet ex præfatis conditionibus, clericalem habitum, et tonsuram deferant. Et quantum ad clericalem habitum, declaratum est, quod ex Constit. Pii IV, ea vestimenti forma utantur, qua Presbyteri uti solent, eoque una cum Tonsura, sex saltem ante criminis perpetrationem mensibus induti incesserint:

leg. 6 tit. 10 lib. 1 *Novis. Compilat.* Quin ad cavendas quas delinquentes excogitare solent fraudes, aliæ etiam additæ sunt conditiones ab iis observandæ, qui fori privilegio ex constitutis à Tridentino regulis potiri velint, quæ sub *Instructionis* nomine adjectæ sunt ad calcem *ejusd.* leg.:

1. Quod ministerium, quod Clericus Ecclesiæ impendit, sit re ipsa tale, perenne, et necessarium, atque ab Episcopo præscriptum.

2. In studium litterarum de licentia Episcopi conveniat, ibique eam disciplinis operam navet, qua prudenter colligi possit, se sacris ordinibus suscipiendis intendere.

3. Tum utraque hæc licentia, non verbis, sed litteris exarata, concedatur ab Episcopo cum Notarii subscriptione, exprimatur etiam necesse est Ecclesia, cui Clericus adscribendus est, et ministerium, cui deputandus: aut Schola, ad quam confertur, et sibi addiscenda scientia, ætas quoque, et personæ qualitas; tum etiam nomen, et patria; assignato denique die, mense, et anno licentiæ expeditionis.

4. Adhæc Judici sæculari territorii, in quo Clericus, aut Scholaris commoratur, hæc licentia exhibenda, ut in Codice ad id deputato transcribatur, atque insuper Clerico in eadem licentia, vel titulo fides præsentationis adponatur.

5. Demum, delinquente Clerico, et in sæcularis Justitiæ potestate detento, ante latas à Judice Ecclesiastico censuras, tenetur Episcopi licentiam una cum iudicis laici testimonio, vel Beneficii titulum producere. Tum et requiritur, quod Parochi, et duo testes iurejurando adseverent, Clericum revera Ecclesiæ inservire, aut Magistri, et duo studentes, Scholarem illum reapse litteris incubuisse.

De Clerico, qui in cœlibatu vivens, habitum officiumque clericale deserat, illud hic quæri potest: num scilicet, dum fori exemptione privatur, reliquis etiam expolietur Clericorum privilegiis? Porro, licet non una sit hæc in re Canonistarum opinio, standum tamen omnino sententiæ Benedicti XIV. *De Synod. Diocæs.* lib. 7 cap. 66 n. 2, censentis, fori amissionem, ceu *odiosam*, ut ajunt, ad reliqua clericalis ordinis privilegia neutiquam extendendam.

Non abs re hic quoque erit disquirere, in quonam foro conveniendus sit Clericus is, qui abjecerit prius habitum, cœtumque clericalem, ad quem postea redeat; atque vel ante Clericatum, vel in Clericatu quidem, at eo abjecto, aliquid egerit, propter quod ad tribunal deferendus sit? Jam vero Clericus iste ad Ecclesiasticum omnino tribunal trahendus est, si res adhuc sit integra: quod jure civili etiam conforme est: leg. 52 §. 4 *Dig. de Recep. qui arbitr. recep.* Sin autem, antequam vel ad Clericatum accederet, vel ad Clericatum rediret, ad laicum tribunal jam fuerit evocatus, tum certe, ex saniori Canonistarum sententia, distinguatur oportet personalem inter, et realem immunitatem, scilicet, ut quantum ad personam sit immunis, haud vero quantum ad bona: *Gagliardus Inst. Can.* lib. 3 tit. 5.

Quod ad Clericos conjugatos attinet, qui unicam, et virginem duxerint, in habitu clericali incedant, et de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ ministrent; hos sane in causis dumtaxat criminalibus fori privilegio potiri, sancit Bonifacius VIII cap. 1 *de Cler. Conjug. in 6*, cui consonant Syn. Tolet. an. 1525, cap. 8; Palent. an. 1588, cap. 3; Aranden. an. 1475 cap. 14, et Trident. *Sess. 25 Ref. cap. 6*. Hispaniarum quoque legibus, Clerici conjugati in causis criminalibus fori privilegio perfruuntur; in civilibus vero tanquam mere laici habentur: leg. 48 tit. 6 *Partit. I.* et leg. 7 tit. 10 lib. 1 *Novis. Compilat.*

Conversos, Oblatos, sive Donatos, Tertiarios, aliosque id genus Monachos laicos, dummodo monasterium, aliudve religiosum domicilium cum reliquis fratribus incolentes, legitimo pareant Superiori, regularemque habitum gestent, fori prerogativa haud carere, probatum est. Id quod decrevit Alphonsus Sapiens leg. 2 tit. 7 *Partit. 3*; ceteri vero, sive Tertiarii, sive Eremitæ, licet religiosæ vitæ addicti, nulla gaudent immunitate.

Episcoporum *domesticos*, et *familiares*, ea solum ratione, quod ipsorum *commensales* sint, non est cur à sæculari jurisdictione exemptos credamus, præsertim quum ita declaratum sit à Ferdinando, et Elisabetha in *Ordin. Vallisolet.* lib. 3 tit. 10, et in *Granat.* tit. 7 *Sanct. 6*. Viensis *Remiss.* 27 ad tit. 5 lib. 1 *Novæ Recop.* Episcopalis Curiae Administris, et Ecclesiarum famulis ad mechanica exercitia deputatis, Ecclesiastici fori privilegium nec commune, nec Hispanum Jus unquam indulsit).

V. tom. 1, pagg. 103 ad fin., et 130.*

40. Ex causis clericorum quædam sunt majores, quæ ad Episcopos pertinent, et hæ Summi Pontificis judicio reservatæ sunt. Non enim decet, ab inferioribus clericis judicari graviora negotia Episcoporum, quorum tanta, ac tam præclara dignitas est. Lex quidem Ecclesiæ supra Episcopos possuit Metropolitans, et Patriarchas; sed ea nihil detraxit de jure, et potestate Summi Pontificis, quem unum lex Christi Episcopis superiorem fecit (1). Quare suo jure, et omnino ex potestate divinitus in Episcopos accepta, Romani Pontifices eorum sibi causas reservarunt; et hæ sane antiquissima est, ac perpetua Patrum traditione firmata Ecclesiæ consuetudo. Sunt autem majores hæ causæ, confirmationes (2), translationes (3), depositiones (4), restitutiones (5), resignationes (6) Episcoporum.

(1) Agam ea de re latius in tit. de Appellationibus §. 18. ad fin.

(2) Episcoporum electiones semper confirmari consueverunt à Summis Pontificibus, qui id præstabant aut electi consecratione, aut consensu ante, vel post consecrationem dato. Hoc tamen inter orientem, et occidentem discrimen fuisse observat P. Bianchius t. 5 par. 11. 5 c. 4 §. 4 p. 513, quod in oriente id fieri sinebant à Patriarchis, quos tamen ipsi Pontifices confirmabant, adeoq, qui ab iis confirmatus non esset, verus Patriarcha non haberetur. Id patet ex iis, quæ gesta sunt à Theodosio M., qui ad Damasum legationem misit, ut Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus ab eo confirmaretur, cujus rei præclarum testimonium est in Ep. 15, S. Bonifacii ad Rufum apud Constantium col. 1043; item ex actis S. Leonis, qui Anatolium Constantinopolitanum, Proterium Alexandrinum, Maximum Antiochenum Patriarchas confirmavit: Leo M. Ep. 69, 70, 104, 127, 129, 150 ad Theodos. et Pulcher. opp. t. 1 col. 1005, 1009, 1151, 1247, 1254, 1256 ed. Baller. Ven., et Concilium Chalcedonense Act. 10 t. 4. Conc. col. 1599. Collect. Labbæi. Simplicius Joannem Alexandrinum, et Calendonem Antiochenum Patriarchas confirmavit, ut constat ex ejus Ep. 16 ad Acacium, et Ep. 17 t. 5. Conc. col. 112 et 113. Collect. Labbæi. Flavita Constantinopolitanus

non consensit sine Romano Episcopo intronizari, ut testantur Liberatus Breviar. c. 18 p. 127 ed. Garner. Paris. 1675, et Felix P. Epistol. 15 t. 5 Conc. col. 210. Collect. Labbæi. Ipse Felix Euphemium orthodoxum agnovit, sed eum Episcopum haberi noluit, nisi primum ab se confirmatus fuisset, uti narrant Theophanes Chronograph. p. 116 ed. Paris. 1655, et Nicephorus Callixtus Histor. l. 16 c. 19 p. 685 t. 2 ed. Paris. 1650, idque etiam educitur ex Felice Ep. 14 ad Thalassium Archiep. t. 5 Conc. col. 215 coll. Labbæi. Huc etiam refer quod de Agapito P. memoriæ prodidit Liberatus Breviar. c. 21 p. 147 cit. ed. Paris. 1675; quodque Joanni Philadelphensi scribit Martinus I. Ep. 5 t. 7 Conc. col. 22 collect. Labbæi. Ipse Michael Rousselius, qui certe nimis in Sedem Apostolicam studii suspectus haberi non potest, potestatem hanc Summi Pontificis agnoseit; imo Hist. Pontif. jurisd. l. 2 n. 12 scribit hæc: *Quod si non sæpius, aut absolutius hanc prerogativam exercuit (Papa), tribuendum est illius modestiæ, qui non putavit summa sua potestate utendum, nisi ubi necessitas exigeret.* Alia ex oriente exempla collegerunt Hallier de Sac. elect. et ord. par. 5 sect. 5 c. 4 art. 3 p. 60 ed. Rom. 1741, et P. Bianchius cit. t. 5 par. 1 p. 515 et 518. In occidente vero non tantum Primatus, sed etiam Patriarchatus jure, Episcoporum ordinationes, quæ olim confirmationis loco erant, semper à Sede Apostolica fieri consueverunt. Celebre in primis est ea de re testimonium Innocentii I. Ep. 25 ad Decent. Eugubin. apud Constantium col. 856. Si quando ab aliis Episcopis in occidente absolutæ sunt Episcoporum ordinationes, idcum venia, et auctoritate Sedis Apostolicæ factum est. Ita Metropolit. Aquilejensi, et Mediolanensi, quod ob difficultatem itineris incommodum esset, eos ab Apostolico ordinari, permissum est, ut ipsi sese invicem ordinarent: Pelagius I. in Fragm. Ep. ad Joannem Patricium in t. 6 Conc. Labbæi col. 482 ed. Venet. Quod adeo verum est, ut in his quoque Ecclesiis Romani Pontifices jus suum agnoverint, et Gregorius M. ut patet ex Ep. 50 l. 3 opp. t. 2 col. 646 ed. Paris. 1705, Joannem Subdiaconum Legatum miserit, ut Mediolanensis Episcopi electioni præset, et nostræ, inquit, auctoritatis assensu à propriis Episcopis facias consecrare. Similiter Ecclesia Ravennatensis, quæ V. sæculo à Summo Pontifice Metropolis est constituta, illius ordinationi subieciatur, uti colligitur ex Joanne Ravennæ Episc. in Ep. ad Gregorium M. l. 3 Ep. 57 col. 670 cit. ed. et Agnello in Vit. Marini par. 2 p. 201 et in Vit. Theod. p. 319 par. 2 ed. Mutin. quem in locum Bæchinii notæ videndæ sunt. Episcoporum ordinationes, quæ à Ravennatensi Metropoli subieciuntur, judicio Sedis Apostolicæ subjectas fuisse, constat ex Simplicio Ep. 2 ad Joannem Raven. t. 5. Conc. col. 95. Collect. Labbæi. In aliis quoque provinciis jus idem fuisse, ut Episcoporum ordinationes à Sede Apostolicæ auctoritate penderent, constat ex Vicariis Apostolicis Thessalonicensibus per Illyrium, itemque ex iisdem vicariis in Gallis, et in Anglia constitutis. Confer Siricii Ep. 4 ad Anysium Thessalon. apud Constantium col. 642, atque, ut mittam Innocentii I., Bonifacii, Sixti, Cælestini literas. Leonem M. ep. 5 c. 2 col. 618 et ep. 6 c. 2 col. 621 opp. t. 4 ed. Ballerin., Bedam histor. anglie. l. 2 c. 48 opp. t. 3 p. 67 ed. Basileæ 1563. Idem in Africa jus fuisse, docet Siricius ep. 5 ad Episc. Afric. apud Constantium col. 651, in quam epistolam videndus est ipse Constantius, et videnda in primis sunt, quæ graviter, et præclare animadvertit Cl. Zaccaria Anti-Febron. par. 2 l. 4 c. 4 n. 15. Ipse de Marca Concord. Sacrd. et Imper. l. 1 c. 7 §. 1, 5 et 7, defendit, ordinationes Episcoporum, causaque majores ad jus patriarchicum pertinere; ideoque ejus etiam concessu omnia hæc uni Pontifici in occidente ascribi debent. Vide Blascua. de collect. Isidor. c. 9

§. 1, Zaccariam l. c. c. 5, et Carlium «del Diritto metropolit.» opp. t. 15 p. 272 ed. Mediolani 1736.

(5) Consule quæ supra dixi l. 1 t. 3 sect. 4 §. 18. not. 2 p. 148; et vide etiam Blascum l. c. c. 10 §. 1, Bianchium t. 5 p. 1 c. 4 §. 1 p. 390 seq., et Cl. Mamachium ad auctor. opp. Quid est Papa? ep. 5 t. 1 p. 212 seq.

(4) De Episcoporum depositionibus item egi citat. sect. 4 §. 18. not. 4; p. 149, (et 529) Adde Mamachium l. c. p. 212 seq. De Episcoporum translationibus, renunciationibus, depositionibus, electionum confirmationibus, celebris est Innocentii III. decretalis in cap. 2 de translat.; quam scite explicat, et tuetur Carolus Blascus de collect. Isidor. Mercator. c. 10 §. 2 not. 1 p. 120, et Bianchius l. c. n. 1 p. 590 et seq.

(5) De restitutionibus quoque Episcoporum actum est cit. §. 18 not. 5 p. 150. Videndus est etiam Mamachius l. c. p. 218 seq.

(6) Renunciationum, quæ ab Episcopis non nisi cum venia, et auctoritate Sedis Apostolicæ factæ sunt, exempla extant apud Leonem M. ep. 467 ad Rustic. Narbon. col. 4417 t. 4 ed. Ballerin., Gregorium M. l. 41 ep. 47, et l. 15 ep. 5 et 6 opp. t. 2 col. 1135, 1217, 1218 ed. Paris. 1705, Joannem diaconum in Vit. Gregor. l. 4 c. 59 opp. S. Gregor. t. 4 col. 461 cit. ed. Maurin. Paris. Mitto cetera, quæ referunt Zaccaria Anti-Febron. par. 2 l. 4 c. 5 §. 15 p. 228 seq., Bianchius p. 1 t. 5 l. 5 c. 4 §. 2 n. 6 et seq. p. 462 seq., Mamachius l. c. p. 224 et seq. Atque hæc quidem omnia falsis Isidori decretalibus antiquiora sunt, adeunt se deridendos præbeant Febronius, Eybelius, ceteri similes, qui hanc Pontificiam potestatem repetunt à falsis decretalibus, quæ multo post in manus hominum pervenerunt. Confer etiam Blascum l. cit. c. 10 §. 2 p. 119.

11. Decretalium jure etiam viduæ, pupilli, ceteræque miserabiles personæ ad ecclesiasticum judicem vocandæ sunt (1); quoniam iis opitulari ab ipsis Ecclesiæ incunabulis non ultimum fuisse constat munus, et curam Episcoporum (2). Quin etiam civiles leges laicorum controversias ecclesiastico judici committunt, non solum cum duo litigantes consentiunt (3), sed etiam cum eorum alter dissentit (4).

(1) Cap. 26 de Verb. signific., et cap. 15 de For. competen. — Hoc tamen Decretal. jus in Hispania non obtinere, observat Cl. Covarrubias Pract. Quæst. cap. 6, n. 1.

(2) Can. 1 et 2 dist. 87. Duo hi canones, qui certe antiquissimi sunt, et antiquam exhibent Ecclesiæ disciplinam, inscriptum habent nomen Gelasii Pontificis; sed quidam sunt, qui eos ipsi ascribendos negant. Verum, ut recte observat Carolus Sebastianus Berardus, Gratiani canon. genuini par. 2 c. 46, stylus à Gelasio non dissentit, imo et sententia rescripti generalibus Gelasii sententiis consentanea est. Nam his canonibus constituitur, ut Episcopi viduarum, ac pupillorum præsertim tuitionem habeant, at vero similia prorsus extant in Gelasii ep. 40 ad ep. sicil. apud Labbæum t. 5 conc. col. 521 ed. Ven. Eadem disciplina recepta, ac probata est in Concilio Aurelianensi l. can. 16 ib. col. 549, ac passim à Gregorio M. præsertim ep. 15 et 59 l. 4 opp. t. 2 col. 499 et 549 opp. t. 2 ed. Paris. 1705. Consentit Concilium Matiscenense II, can. 12 col. 677 t. 6 collect. Labbæi. Neque vero hi canones ita explicandi, intelligendique sunt, quasi significant meram tuitionem,